



ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO  
PRÆSVLI D. DOMINO  
**FRANCISCO BOSQVETO**  
EPISCOPO MONTISPESSLANI,  
COMITI DE MELQUEIL, ET MONFERRAN, MARCHIONI  
DE LA MARQUEROSE, BARONI DE SAVVE, REGI A SANCTORIBVS CONSILIIS, &c.

F O E L I C I T A T E M.

**P**HILOSOPHIÆ sacræ huius meæ , quoad ejus partem secundam recens partus Leuanam , qua tollatur, manum inuocat , ILLVSTRISSIME PRÆSVL ; nec aliam suopte nutu ambit , nisi Tuam ; quippe quam ex Tuo ipso Genio benignam sibi atque propitiam fore sic præsentit ; vt eam neque vana præsentis , neque spes inanis ludat præsidij abs Te consequendi: quippe quam Tu iamdiu securam fecisti , datis vltro beneuoli affectus argumentis locupletissimis. Cum enim in Tuo me palatio , ac pene in gremio , præteritis istis annis , pro singulari tua humanitate , multis mensibus foueres hospitem amantissimus ; & ad solita eruditissima Tua colloquia identidem adhiberes , vtroque certe genere amplius multo quam promererer cohonestatum : ea occasione sic data amplissima fidentius erupi , vt ea quæ iam tum scripseram aperirem , sumpturus de eisdem abs Te consilium: cumque agnouissem Tuo illa non parum arridere sensui ; & eo vel magis, quo Tu ipse mihi statim autor fuisti ne ea diutius arcerem à prælo ; haud potui quin in primis obsequerer tuæ sententiæ quoad præli propositum , ac deinde quin Opus ipsum Tibi ex tunc destinarem ; futurum , vt spes erat , non modo munus Tibi ex me non injucundum; sed etiam, quod præcipue in votis habebam , obseruantiae erga Te meæ, quin & gratitudinis argumentum qualecunque. Et iste quidem , ILLVTRISSIME PRÆSVL , sic ex Te suscepimus fauor , et si non primus ; primus fuit Philosophiæ huic sacræ meæ , non ignobilis ardor ambiendi Tui, sperandique Patrocinij : quanquam & aliis eidem subest illustrior , qui est Amoris & Reuerentia. Sicut enim effoetus